Lemniadum facinus culpo non miror iason.
Quelibet iratis ipse dat arma dolor.
Dic age si uentis ut oportuit actus iniquis.
Intrasses portus tuq; comesq; meos.
Obuiaq; exissem fetu comitata gemello.
Iscere nempe tibi terra roganda foret.
Quo uultu natos quo me scelerate uideres.
Perfide quo pretio qua nece dignus eras.
Ipse quidem per me sospes tutusq; fuisses.
Non quia tu dignus sed quia mitis ego.
Pellicis ipsa meos implessem sanguine uultus.
Quosq; ueneficiis abstulit ipsa suis.
Medee medea forem si quid quod ab alto.
Iustus adest uotis iuppiter ipse meis.
Quod genuit hypsipyle. lecti quoq; subcuba nostri.
Mereat. et leges sentiat ipsa suas.
Utq; ego destituor coniunx materq; duorum.
A totidem natis orba sit illa uiro.
Nec male parta diu teneat. peiusq; relinquat.
Exulet et toto querat in orbe fugam.
Quam fratri germana fuit miseroq; parenti.
Filia tam natis tam sit acerba uiro.
Cum mare cum terras consumpserit aera temptet.
Erret inops expers cede cruenta sua.
Hec ego coniugio fraudata thoantis oro.
Viuite deuoto nuptaq; uirq; toro.

Didon Enee.

Sic ubi fata uocant udis abiectus in herbis.
Ad uada meandri concinit albus olor.
Nec quia te nostra sperem prece posse moueri.
Alloquor aduerso mouimus ista deo.
Sed meriti famam corpus animumq; pudicum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1668/0037

MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG